

II Subtilia II Cingula II Stole II Fanones. V. Omnia hec. precio et specie electissima. Jtem. pallia II. Linthea altaris II Manutergium optimum. Candelabra tria bona. Dorsalia III:or. Tapetia III:or Ad reliquias recondendas Capsam preciosam ex electro. duas eburneas Tabulam crucifixi eburneam. et vasa preciosa. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona contra huius constitutionis paginam venire temere presumpserit Et ex hiis omnibus quippiam auferre. diminuere vel alienare non timuerit. omnipotentis dei vindictam experiatur. Duplici contricione conteratur. A facie dei pereat. Cum sonitu, memoria eius dispereat. Sit pars ejus cum dathan & abiron Fiat sicut jabin in torrente cyson. veniantque super eum omnes maledictiones quas populo rebelli. dominus comminatur Et. quo jratus deus animas percutit. mucrone feriat Sitque anathema maranatha. Amen Cunctis autem que justa sunt seruantibus. sit misericordia a deo salutari. Descendatque super eos pax & benedictio dei Amen Amen Amen De cetero. Hac liberalitatis munificencia hanc priuilegiauit ecclesiam vt si quis fratrum meliorem prebendam habens obierit. senior frater. pro laboris commercio. ea jnduatur. Acta hec dedicacio & inscriptio Lundis. anno incarnationis dominice millesimo C XL V jndictione VIII presidente romane & apostolice sedi. beatissimo papa Eugenio III Archiepiscopatus domini eskilli memorandi presulis anno VIII:o Horum presencia & testimonio. quorum hic sequuntur Nomina. Episcopi. Aszerus Selandie episcopus Gislo. Liungacopensis episcopus. Otrimus Skaronensis. Hermannus. sleswicensis episcopus Abbates. Nicolaus Lundensis jusfridus swansheit. Willelmus. Clerici Ebbo decanus. Nicolaus archidiaconus. Omnes canonici sancti Laurentij. et Dalbyensis ecclesie fratres. Prepositi. Paulus. Ascatius. Clerus innumerosus. Principes Swen. erici regis filius. Kanutus magni filius Ericus dux. & eius filii. Karolus & Kanutus Bondones. Toki. signesun Magnus. saxesun Siunde swenssun Karl. agisun Ener Swen cristianssun Agge peterssun. Pene i Karlaby Ake juvenis & eius filius Hun. Ake fris et Manne frater eius. et totius populi multitudo copiosa In kalendis Septembris. feliciter.

36.

1150 — 1162.

Abbot PETER af Celles svar på Årke-Bisk. Eskils begäran att broder ROGERIUS af Carthusianerne skulle till honom skickas för att uppsöka och bereda i Norden en plats för denna Orden.

K. h. 2: 55a. N:o 23.

*Domino & patri suo charissimo Eskilo Lundensi Archiepiscopo frater Petrus Cellensis abbas omne bonum a Domino DEO.*

De superabundanti bonorum cælestium gratia eatenus tam vultus quam manus vestræ resudant, vt nisi verecundia his temporibus ab humana regio-

ne se subduxisset, suffunderentur maximo rubore noti & amici vestri in benedictionum vestrarum largitione. Equidem malim dicere in dando vos pluere quam seminare. Nam qui seminat primum in spe percipiendi fructus seminat, deinde non fundit, sed spargit. Postremo non nisi cultæ terræ semen suum credit. Horum nihil mitatur pluuia: sed se ipsam vt sic dicam perdit in terræ visceribus, vt postea resurgens cum maxima frugum prole afferat fructum tricesimum, sexagesimum, & centesimum. Aliud rursus caritatis indicium in pluuia reperio: quia sine delectu rigat fœcunda & infœcunda, fertilem agrum & sterilem, granum electum & germen reprobum. Est ne virtutis, an vitij, hæc bonitatis & beneficiorum prodigalitas? Sed hoc Dei, nec aliud in eo inuenitur vitium, nisi quod benignus ad ingratum, largus ad auarum, pius ad impium existit. Ista sua vitia comparant mansuetissimo innumera conuicia. Aliquando moti sunt pedes nostri mitissimi Dauid, quia eruperat pluuia mansuetissimi Dei super malos & iniustos, ita vt diceret, *sine causa iustificauit cor meum, & laui inter innocentes manus meas.* Exciderat a mente quod in libro Sapientiæ dicitur. *Tu autem DEVS noster suavis & verus es & sapiens, patiens & in misericordia disponens omnia. Etenim si peccauerimus, tui sumus, scientes magnitudinem tuam. Et si non peccauerimus, scimus quoniam apud te sumus computati.* Ecce cuius imitator reprehenditur, qui de bonitate, siue largitate redarguitur. An non Ecclesiastes in concione sua proprio decreto & sententia, hoc malum æstimat sub sole, vt cui dedit DEVS diuitias & substantiam & honorem, non habeat in eis potestatem, sed extraneus illas rapiat? Ad quid hæc vobis verborum congeries? Vt ignis perpetuus de sancto altari cordis vestri non deficiat: sed hac congerie magis ac magis conualescat, donec holocaustum vestrum pingue in nebula in qua habitat DEVS suscipiatur, & a cineribus omnium superfluitatum facies altaris eiusdem expietur. Ostiolum per quod aditus ad sancta sanctorum patet, de lignis est oliuarum; quia procul dubio iuxta sacræ fidei tenorem non ei negabitur sanctorum ingressus, qui ab operibus misericordiæ non fuerit alienus. Suppresso pudore in auribus Domini mei id persuaserim, non mea tamen præsumptione, sed alterius persuasione. Nequaquam tamen difficilis ad persuadendum extiti, faciei vestræ, sermonis, & totius gestus insignia penes me retinens: nec me in humilitate similem reperisse de filiis hominum conijciens. Non igitur ei scribere vereor, quem nisi malis & superbis verendum non reor. Et de his hactenus. Ceterum culpam non debet seruus de contemptu mandati, cuius mens & voluntas nulla negligentia reuocatur ab impletione voluntatis Domini. Ex vestra dignatione in mandato ab anno præterito accepi, quatenus Carthusienses fratres expeterem, & de maturando negotio vestro eos commonefacerem. Erat autem negotium, sicut scitis, quatinus ad vos mitteretur frater Rogerius, ad

locum ordini illorum in partibus vestris perquirendum & præparandum. Disposuerat namque in animo vestro plena & perfecta charitatis effusio noua seminaria de omni genere sacrorum ordinum seminare prouinciam vobis a DEO commissam, vt exinde fructus, qui permanent in æternum, susciperetis; & manipulos iustitiæ de laboribus eorum ad æterna tabernacula reportaretis. Iam non solum in herbam, sed in spicas Cisterciensis siue Clareuallis ordo ibi multiplicatione fratrum excreuit: nihilominus & religio Præmonstratensis. Quia igitur gustauit & vidit prudentia vestra, quod bona sit negotiatio ista, ad vltiora manum porrexistis, & de illo ordine, qui quasi Cherubin, siue Seraphin, immediate residenti agno, qui habet oculos septem & cornua septem, in throno gratiæ accedunt, gazas vestras exornare voluistis. Ecce factum est vt imperastis. Adquieuit sanctus Carthusiensium fratrum conuentus iustis petitionibus vestris. Equidem res impetratu difficilis, sed quis vobis negaret, quod forte spiritus Sanctus in sancto templo suo suggerebat? Certe nec illi, nec nos diffidimus, seruum suum fidelissimum & amicum Domini vos possidere, cuius famam & opera tam præclarissima reclamatione mundus. Quod cœpistis tam sancte, tam auide, tamque quodammodo intemperanter præ desiderio animæ, sic effectui mancipate, vt melior sit finis orationis, quam principium. Valet.

37.

I I 5 I — I I 5 3.

Abbot BERNHARDS svar till Ärke-Bisk. ESKIL i Lund rörande sitt gifna förord hos Påfven.

K. 2. 1633.

Ad dominum ac venerabilem Eskilum Lundensem archiepiscopum, sedis apostolicæ in Dacia et Suecia legatum, cuius corpus gloriosum in Claraualle requiescit iuxta matrem eiusdem diui Bernardi. Epistola CCCXIII.

Amantissimo patri et domino Eskilo, Dei gratia Lundensi Archiepiscopo, frater Bernardus Claræuallis vocatus abbas, in vero salutari salutem.

Scripta et salutationes vestras, immo affectiones cordis vestri tam libenter suscepi, quam specialiter et diligo vos, et diligor a vobis. Inde est quod auditis tribulationibus vestris, eas non solum meas feci, sed et inueni: quia non possum te dolente non dolere, dulcissime pater, nec nisi molestus et anxius tuas molestias et anxietates audire. Tangit et angit cor meum quicquid tuum exasperat: et quicquid illud sit quod te persequitur, non solum te persequitur, sed me tecum. Quicquid enim gratiæ et dilectionis im-